

12054

30

18

DECAS 1611/4  
MISCELLANEA-  
RUM ET IN JURE CON-  
TROVERSARUM QUÆSTIO-

NUM:

QUAM

D. O. M. A.

*Permissu Amplissimæ Facultatis Juridicæ*

SUB PRÆSIDIO

ORTOLPHI FOMANNI

JCTI EXIMII ET IN INCLYTA SALANA CO-  
dicis Justin. Professoris publici, Juridicæ Facultatis Senioris,  
& pro tempore Decani: nec non Consistorij, curiæ provincialis,  
ac Scabinatus ibidem adfessoris dig-  
nissimi.

*In Illustri Salana defendere conabitur*

CASPARIUS SCHRÖTTER LONGOSALIS-  
fanus Tyr. p. t. civis Wurcensis:

*Ad diem 25. Mensis Maij hora locog, consuetis.*

JENÆ

TYPIS LIPPOLDIANIS Anno 1611.



*Amplissimis,*  
Pietate ac prudentia præ-  
stantissimis, Doctrina & Consilio  
gravissimis Viris

**Dnn. CONSULIBUS:**

*Reliquisque totius Senatorij Synedrj apud*  
LONGO-SALISSANOS, *Assessoribus: Patria Gu-*  
*bernatorib. ut dignissimis, ita fidi-*  
*simis:*

Dominis & Patronis suis ætatem  
colendis:

*Hancce Miscellanear: Quæ-*  
*stionum decaden*

dicando offert

**AUTOR & RESP.**

QUESTIONUM  
MISCELLANEARUM  
DECAS:

I.

AN RES ALIENA LEGARI POSSIT?

**N**on solum legū nesciis, & iis, qui quasi peregrini sunt, & hospites in libris Juris; Verum etiam legibus addictis, & in jure versantibus quibusdam personis, mirum & à veritate quodammodo absolum videtur; Voluntates hominum ultimas eousq; favorabiles & veluti privilegiatas esse, ut iisdem in rem alienam etiam quoddam, ut ita dicam, exspatiandi, & de illis disponendi jus attributum sit, & conveniat; Nec deesse, sed esse plures adfirmare ausim Legatarios, qui si ante aperturam Testamentariorum Tabularum, certiorarentur legatam illis rem alienam; Illud cum ritui forent exposituri, & explosui: tum dubio procul non absq; indignatione & commotione animi in hæc erumperent verba: Wann mir N. N. nicht hette was anders vermachen wollen / denn das / so hette ers wol auch mögen vnterwegen lassen / desperabundi autumantes, ejusmodi dispositiones ac legata, nullius prorsus effectus esse. Ast quia affirmativa sententia tam validissimis L.L. fundamentis, & textibus juris infallibilibus, speciatim. §. non solum. 4. Inst. de leg. l. 39. §. 7. ff. de leg. 1. l. 67. §. 8. ff. de leg. 2. l. 10. C. eod. l. 61. ff. ad l. Falcid. &c. Quàm Dd. auctoritatibus undiq; & ubiq; munita, ut eas hoc loci allegando recēnsere supervacuum censeatur. Non possum non eandem egomet amplecti sententiam. Quin imò mihi de tali gratularer legato, modo non de Feudō, aut aliàs per errorem SUI T A T I S, ut ita loquar, relictum foret. Sciendum siquidem neq; Feudum hoc modo alienari, multo minus ejus deberi æstimationem, c. 1. de success. Feud. c. 1. §. donare. qualiter olim. Gail. 2. obs. 154. n. 13. & alij. Neq; aliter rei alienæ valere Legatum, quam si testator rem alienam esse sciverit. Nam si putaverit esse suam, cum esset aliena, corruet legatum,

gatum, nisi conjunctæ personæ sit relictum, vel tali cui defunctus verisimiliter legasset, quamvis scivisset esse alienam. *d. l. 10. C. de leg.*

II.

*Num Filius fideicommissogravatus, duas QUARTAS detrabere possit? N.*

Favet quidem hoc in casu gravato, & quasi bonis labascentem fovet Hæredem Jus Canonicum, duarum Quartarum, legitimæ nempe, & Trebellianicæ detractionem in *c. Rainutius & c. Rainaldus extr. de testam. ordin.* concedendo. Cui nonnulli Dd. ad stipulantur: Asserentes Juricivili etiam duplam illam detractionem congruere, adhibita tamen distinctione purè quis, an vero sub conditione, & in diem restituere rogatus sit. *Accurs. in l. quoties. ff. ad l. Falcid. Sichard. ad Auth. res qua. C. Comm. de leg. Gail. 2. obs. 121.* Attamen cum *Nov. 18.* legitimæ portio Imperiali creverit auctoritate; Negativæ etiam sententiæ defensores, ut sunt ætatis nostræ in jure principes viri, fundamenta habeant satis prægnantia, eandem aspernari haut possum, Quoad fundamenta benivolam lectorem compendii causa ad eosdem remittendo. *Don. 7. Comm. 30. Cujac. 8. obs. 3. Godofr. l. 3. §. 2. ff. ad Scutum. Trebellian. Hottom. Illustr. ast. 43. & alij. Diss. Fachin. 5. contr. 2.*

III.

*Cum Juramentum prestare nequeat pupillus. a utrum illud deferre possit quaritur? b Et quid de minore? c.*

(a) Nemo sanus opinor & vel mediocriter saltem in jure versatus negatum ibit, pupillum ad Juramenti Religionem subeundam omnino esse inhabilem: Notum siquidem omnibus & exploratum, Judicio destitutum esse pupillum, h. e. cognitionem certamq; animi deliberationem & discretionem non habere, & proinde faciliùs in perjuriû incidere posse. Testantur id ipsum *l. jusjurandum & ad pecunias 34. §. pupillo: 2. l. tutor pupilli 35. ff. de jurejur. l. diem proferre. 27. §. coram. ff. de arbitr. l. 1. §. 6 c. de Fals.*

(b) Non posse deferre nisi tutore Autore text. in *l. jusiurandû quod ex conventionem. 17. §. 1 ff. de iurejur.* Quin imò si absq; tutoris auctoritate pupillus derulerit juramentum, non tenebit delatio, sed ipso jure nulla erit, nullum etiam juramentum & consequenter veteres actiones pupillo ipso jure

jure salvæ erunt, quod probatur. 1. per l. 1. §. 1. ff. quar. Rer. act. non dat. ubi dicitur: quod pupillo deferente Juramentum non obstet Exceptio rei Judicatæ &c. cum aliâs Juramenti ritè delati & præstiti perpetuus sit effectus, ut Juranti vel Exceptionem, vel actionem pariat. l. nam postea. 9. §. 1. ff. de iureiur. 2. prob. per l. 4. C. de Reb. cred. ubi Imp. aiunt: Si ad excludendam tutelæ actionem pupillus jusjurandum A-ctori detulerit, pupillū post eandem litē exercere non phiberi: 3. Etiam cum à legitima persona delatum est Juramentum, non tamen id summo jure valet, ita ut actionem ipso jure subsistentem perimat, sed tantum ex æquitate prætoris sustinetur, Ita ut actio summo jure consi-stens per Exceptionem excludatur. §. Equè. Inst. de Except. quantò ma-gis ergo salvæ manebunt ipso Jure actiones, cum minus legitimè juratum est, pupillo deferente. Diss. Borch. c. 7. (c) in delatione Juramenti minoris; sic distingvo: Aut minor Curatorem habet, aut non habet: hoc posteriori casu verius est eum posse deferre Juramentum, cum nusquam reperitur prohibitus. Priori si scilicet habuerit curatorem, tum non deferre posse, cum communi arbitror. Et si deferat tam delationem, quam Juramen-tum esse ipso jure nullum: Cum certum sit eum hoc casu comparari pu-pillo & prodigo: Duar. ad tit. C. de reb. cred. & iureiur. c. 4. ubi allegat. l. Acta. 45. §. fin. ff. de Re Jud. & l. universis. 11. C. curat. ut tut. dar. poss. Diss. Borch. Cuiac. & eundem secutus. Trentl.

IV.

*Nunquid civitas ex mutuo per eius administrato-  
res accepto obligetur?*

In enarratione l. civitas. 27. ff. sicert. pet. sudando ultra modum, ita se involvere Dd. ait Coler: de process. Exec. p. 2. c. 3. n. 336. ut ex illo Laby-rintho Disputationum vix ipsimet sese extricare valeant. Quapropter ne idem nobis accidat; primo amplectendæ, opinor, & sequendæ sunt Dd. distinctiones: Dein ipsius quæstionis explicandus sensus: Distinctiones quod attinet, binas me legere memini: Quarum altera ipsas concernit personas, Jubens animadvertere, nunquid Magistratum annalem, & temporarium gerant, an vero perpetuum Administratores Mutuum communi nomine civitatis accipientes. Col. d. loc. n. 335. & 336. Altera rem ipsam in obligationem deductam spectat, & considerari vult utrum ea in publicam civitatis utilitatem versa sit, nec ne: Trentl. per d. l. 27. &

*Nov. 120. c. 6. §. 3.* Quibus præsuppositis ita commodè opinor explicari potest quæstio: ut si mutuum nomine civitatis contractum sit ab administratoribus Magistratum perpetuum gerentibus, indistinctè obligetur civitas, siue in rem, eiusve utilitatem versa sit, siue non, cum quod proceres civitatis, quibus gubernatio, & omnis administratio rerum publicarum commissa est, faciunt id, pro eo habeatur, ac si singuli fecissent cives: *gl. in rubr. C. qua sit long. consuet.* tum quia quemadmodum id, quod communiter fit in aliqua universitate, omnes obligat, etiam in delictis, *secundum communem Dd. opinionem*: Ita idem & multò magis de contractibus sentiendum, ut videlicet cives universi & singuli cogantur ratum habere & præstare, quod fecit consilium civitatis, ab iisdem præpositum communitati: cum factum præpositi habeatur pro facto singulorum civium; *c. qui per alium. de R. I. n. 6.* In tantum ut nec isto casu creditori necesse sit probare versionem pecuniæ in utilitatem civitatis: Cum non præsumatur, Administratores electos à populo voluisse aliquem contractum damnosum & præjudiciale civitati facere. *Col. d. loc. n. 347. 351. & 352. ac Hart. Pist. in suis quæst. Respons. 37. n. 1. p. 1.* Si verò à temporariis & annalibus acceptum mutuum administratoribus: tum regulariter non obligari, vel civitatem, vel bona civitatis communia, nisi primò id re deliberata, & communicato consilio cum omnibus civibus, aut saltem omnibus Consiliariis & tribunis plebis, & quidem legitimè convocatis, fecerint, vel secundo, si remotis & exclusis aliis obligationem inierint, pecuniam acceptam in rem civitatis, ejusq; utilitatem impenderint, *Col. d. loc. n. 337.* quo casu experienti adversus civitatem onus probandi incumbit: *gl. in d. l. civitas. quam ibi sequuntur. Bart. Bald. Ang. Ias. & alij. Col. d. loc. n. 340.* Quod si in probatione succubuerit Actor, liberabitur quidem civitas: Regressus vero eidem dabitur experiendi contra mutuantes: prout per Bologn. ostendit *Col. d. loc. n. 341. ex eodem allegando l. cautiones. §. cum autem is. C. de solut. & liber. debit. civit. lib. 11. ibi: suscipiens solus restituet.*

V.

*An NOMEN ACTIONIS antiquissimo, antiquiori  
& antiquo Jure IN LIBELLO speciatim exprimere fuerit necessum? Et quid de jure Canonico, item Novissimo, & hoc nostro seculo? N.*

Edita



Edita actio speciem futuræ litis demonstrat, rescribunt *Impp. Severus & Antoninus A.A. l. edita 3. C. de Edend.* In cujus legis explicatione non omnibus ~~Dd. eadem mens~~, non idem sensus, non eadem interpretatio: Diversitatem tribus verbis ut explicem, quidam vocabulum *species*, pro speciali nominis explicatione; quidam pro determinata facti asseveratione accipiunt; statuentes vigore primæ interpretationis nomen *Actionis* omninò speciatiim Jure civili exprimi oportuisse. *Jas. ad l. 1. ff. de Edend. n. 44. Donell. add. l. 3. C. eod. Duar. ad tit. si cert. pet. c. 6. Trentl. diff. 4. vol. 1. th. 10. lit. c.* Quibus tantum abest, ut ad stipulari queam, ut etiam nullo unquam jure illud necessum fuisse expressè statuum. Non enim antiquissimo jure, h. e. quod à condita urbe Roma usq; ad promulgationem XII. tabb. floruit, exprimi debuit: quia initio civitatis Romanæ populus sine certa lege, & sine certo, h. e. scripto jure vixit. *l. 2. in pr. ff. de orig. juris.* quia omnia manu Regia gubernata sunt *d. l. 2. §. 1. hoc est, ut Justin. libr. 1. in pr. ait,* populus nullis legibus tenebatur: Arbitria principum pro LL. erant: Idem sentit *Tacitus lib. 3. Annal.* Non antiquiori, h. e. quod post latas XII. tab. usq; ad Constantinum, Theodosium, & Valentinum A.A. viguit: Licet enim dum temporis, in singulis actionibus certæ essent formulæ compositæ, non tamen necessarium fuit actionis nomen expressè in formula designare: quia actio ipsa ex facti specie facile colligi potuit. Non antiquo, id est, quod post dictos *Impp.* in usu fuit: præterquam enim quod illi generaliter tam omnes actionum formulas & impetrationes sustulerunt, *l. 1. §. 2. C. de form. & imp. act. subl.* quam in specie omnes Libelli scrupulosas superstitiones abrogarunt. *d. l. 1. §. 2.* Non invenio post illorum tempora, ullam hac de editione nominis legem promulgatam. Non Jure Canonico, quippe quo expressè hæc præmittendi nominis consuetudo confirmata sit. *c. dilecti extr. de Judic. ubi panormit. n. 15. c. ult. de libell. obl. Gail. 1. obs. 61. n. 1.* Non jure Novissimo: quia hodie ut inquit *Donell. d. l. 3. n. 11.* Ex æquitate non rejiciendus libellus, in quo de jure petitionis constat. Deniq; hæc opinio per omnia in foris Saxonis cotidie observatur: Ferè enim hoc modo formari solet Libellus: præmissis præmittendis: *Stellet Kläger seine Klage vnd Zuspruch gegen vnd wieder Beklagten N. N. nicht in gestalt vnd Form eines zierlichen Libells/ sondern in einfeltiger Erzählung der Geschichte etc.* ubi mox factum enarratur, subnexa causa & petitione. Finaliter hanc Negativam opinionem hoc stabili fundamento; ubicunq; leges ad explicandum aliquem actum, certam verborum solennitatem non requirunt, sufficit exprimere, quibuscunq;

buscunq; æquipollentibus *Gail. 1. obs. 2. n. 5.* Cum itaq; neq; veteri Jure civili, neq; novo usquã inveniamus, requiri certam hanc formam actionis, nomine videlicet ejus expresse: Sequitur posse actionem edi etiam aliis circumstantiis expositis ut puta petitione, re, petita, & causa petendi.

VI.

*Quid si debitor pacto se obligavit, nisi constituta die solvat, quod Ire velit in carcerem; An hoc pactum valebit, & vigore illius ad carceres detrudi poterit?*

Creditores quam nostro ævo sub durioribus nexibus mutuas exponant pecunias, & miseros ac infelices debitores multis onerent renunciationibus, ac cautelis, non opus est ut pluribus referam, cum res ipsa loquatur, & omnes omnium Judiciorum anguli crepent ac strepent iidem. Ex quorum numero cum etiam hæc sit: quo debitores pacto se obligant, nisi constituta die solverint quod ire velint in carcerem; & sæpiuscule de facto occurrat, libuit hac vice quæstionem de vi illius pacti proponere: Atque ne inani multiloquio, verborum vè ambage diutius, quid in eadem sentiam, animos legentium detineam suspensos, paucis sequentibus me expedire constitui: persuasum habens: non tantum pactum istud per se valere: cum quod fieri potest per legem, Idem etiam per pactum fieri possit. *l. non impossibile. ff. de pact.* Clarissimus Dominus Præceptor Dominicus Arumæus Disput. Instit. 13. Th. fin. Sed etiam vim suam & effectum sortiri quamprimum mora fuerit commissa: Ita ut continuo post moram quis ad carceres, quos vocant tædiales, seu obedientiarum, in *Bürgerlichen Gehorsam* adigi possit: per *l. creditores. de pignor.* ubi valet conventio de Inchoando processum ab Executione sive privata, sive publica, sine omni Interventu aliarum probationum. Et quidni posset? quam enim aliàs operationem dictum pactum habebit? quem effectum? si post factam excussionem, & non solvendo inventum debitorem, & sic post ordinarios Judicior: processus peractos: demum carceribus mancipari deberent debitores prout tradit. *Dan. Moll. 1. Sem. 35.* cum etiam absque hoc pacto debitor excussus & non solvendo repertus carcerari possit. *l. 3. §. tutores. Et ibi gl. in verb. vinculis. ff. de subiect. tutor.* nec non Jure Sax. talis debitor ad manus creditoris pro faciendis operis, aut

aut hærendo in carcere, donec solvat, condemnetur. Landr. lib. 3. art. 39. Weichb. art. 27. circ. fin. Quod ipsum tamen nonnullas recipit limitationes, quas vide ap. Coler. d. tract. p. 1. c. 6. Ex quibus omnibus unicam hanc huc referre libet; quam de personis privilegiatis, Doctoribus puta, & Advocatis afferunt; illos propter dignitatem, in qua sunt constituti, executionem non pati in personam, etiamsi sese ad illam obligaverint; Imò ita sunt privilegiati, ut nequeant exigi, nisi in quantum facere possunt, ideoque pro debito civili realiter nec citari nec detineri posse volunt, text. in c. quanto. extr. de Magistr. & in l. medicos. C. de Professor: Maximè illi qui vel actu legunt, vel etiam advocando se exercent, prout hanc prærogativam restringit Bart. in d. l. medicos. Col. d. tr. de process. execut. p. 1. c. 6.

VII.

*Judex utrum secundum conscientiam, an vero secundum acta & probata judicare teneatur?*  
*Aff. posterius.*

Trita est quæstio: utrum Judex secundum acta & probata potius, an vero secundum privatam suam conscientiam, si actis publicis ea repugnet, judicare teneatur: Ac licet pro utraque sententia non modo rationes, sed textus militent quamplurimi, quin & Dd. autoritates suppetant gravissimæ: Expediior tamen & rationi Juris convenientior eorum videtur sententia; qui Judicem non secundum privatam suam, sed publicam conscientiam, informatam nimirum ex actis & probatis judicare debere profitentur: 1. per text. in c. pastoralis 28. §. quia vero. extr. de offic. & potest. judic. deleg. 2. per text. in c. judicet. 3. quæst. 7. 3. Et quia nemo potest judicis simul, & testis officio fungi. l. fin. C. de asser. Sed si judex secundum propriam suam & privatam scientiam judicaret, utique judicis simul & testis fungeretur officio: 4. veritas constat ex fide eorum, quæ probantur l. illicitas. 6. ff. de offic. pres. c. 1. & c. laudabilem. extr. de judic. sed judex judicare tenetur secundum veritatem. l. rem non novam. 14. C. de judic. E. secundum acta & probata & c. Menoch. de arbitr. Jud. quæst. 31. & cas. 339. Cujac. 12. obs. c. 19. & alij.

VIII.

*An petitorium cum possessorio possit cumulari.*

B

Solet

Solet in materia cumulationis hoc controversi: cumq; *l. inter litigantes. 62. ff. de Iud. §. 4. Instit. de interd. l. si de vi. 37. ff. de Iudic. & alie plures.* videantur istam prohibere cumulationem, moti sunt nonnulli Dd. distingvere inter leges ipsas, & inter partium voluntates seu officium iudicis: Statuendo licet dictis legibus videatur prohibita, tamen si partes velint, utrumque jus deducere, & iudex illud examinare possit, nec tamen ob id necessariò cogi: *Cuj. in c. 1. extr. de ca. poss. & propr.* Alii differentiam posuerunt inter jus civile & Canonicum: Verum enimvero; cum tantum absit, ut discordent à sese dicta jura, ut etiam jus Canonicum *in c. Pastoralis. vers. 4. Extr. de ca. possess. & propriet. ipsissimis l. 18. §. fin. ff. de vi & vi arm.* utatur verbis: Nec illa inter leges, & voluntates partium seu officium iudicis quaesita distinctio contradictionem satis explicare videatur: Insuper hodie æque in possessoris atque petitoris ordinarius servetur processus; Et generaliter ab omni gravamine permessa sit appellatio. *c. super eo 12. Extr. de appell. Gail. 1. obs. 120. n. 2. & obs. 129. ac 130.* Istis distinctionibus adhærere non possum; simpliciter existimans longè convenientiùs esse moribus nostris, cumulationes possessorii & petitorii permitti: quod & in Camera receptum esse testatur *Gail. 1. obs. 63. n. 2.*

IX.

*De eo feudista disputant: an si vasallus decedens plures relinquat hæredes, omnes & singuli Juramentum fidelitatis seu vasallagij Domino prestare teneantur?*

*Blancum c. 7. n. 21. vers. item dubitari consuevit h. in q. satis hæsitanter more suo locutum esse ex Pist. 2. quest. 47. n. 1. refert Vult. c. 7. n. 91. de Feudis.* Inibi concludens quoad quaestionem propositam: hæredes seu filios, sive Feudum possideant divisim inter se partibus, sive pro indiviso cõmune habeant; omnes tamen Juramentum fidelitatis præstare debent *per text. in §. omnes filij. si de feud. defr. cont. 2. ubi gl. & Dd. communiter: c. 1. §. præterea ducatus de prob. alien. feud. per Frid. 2. arg. l. hæredes. §. an ea. ff. fam. hercisc.* Eo enim ipso quod hæres tenet partem suam, censetur esse vasallus Domini &c. *Contrarium observari dicit Wurms.* Adeoq; procedit dicta affirmativa sententia: ut etiam non collectivè, h. e. simul & semel,

semel, sed potius distributive & singulariter præstari debeat. *Hart. Pist. d. obs. 47. n. 14.* Hinc sequitur, quod si unus ex hæredibus pro sua parte se investire cupiens, ad præstandum juramentum se offerat, Dominus eum repellere non possit, & eo usque differre, donec & reliqui hæredes simul veniant. *Pistor. & Vult. dd. loc. Diss. Hottom.*

X.

### *An Feudum alienari possit.*

Cum *supra quest. 1. obiter*, & tantum non per jocum immixta fuerit mentio de alienatione Feudi per legatum prohibita; & non usquequaq; conveniat inter Dd. quoad punctum alienationis Feudi; eandem materiam adhuc semel attingere libuit: In qua tria potissimum ponderanda & ad iudicii lancem expendenda censeo. 1. An Feudum alienare liceat. 2. an absque consensu illud liceat. & 3. an agnatorum etiam necessarius sit consensus: quæ ut breviter expediantur, quo ad primum negative concludendum esse: cum expressi *text. c. 1. de prohib. feud. alien. per Lothar. & c. n. de prohib. feud. alien. per Frid.* tum pœna, quæ est privatio Feudi, satis evincunt. Atq; aliàs in materia Feudali alienationis vocabulû latissimè patere: ut tam vendere, quam ad longum tempus locare, in Emphyteusin vel dotem dare, vel alteri oppignorare, legare, donare, &c. generaliter omnem actum, per quem dominium transfertur, significet, omnes omninò Feudistæ *in predictis locis* comprobant. Quoad secundum itidem Negativam sequimur opinionem: Cum omnium Dominorum, sive mediati sint, sive immediati, requiratur consensus, id quod textus indistinctè loquentes satis arguunt. De hoc tamen multi Dd. dubitant, expressus necessarius sit, an sufficiat tacitus? quod posterius Aff. eo quod consensus tacitus sufficiat, ubi expressus non requiritur. *l. 3. de R. I.* Ad tertium quod attinet: distinctione opus est: Num Feudum antiquum sit, an vero novum: posterius enim rectè solius domini consensu alienabitur, eorum qui in investitura comprehensi sunt, consensu non requisito *Toming. decis. 23. n. 3. Vult. de Feud. c. 10. n. 72. fol. 627.* Licet antiquum alienari nequeat, nisi præter consensum Dominorum accedat etiam consensus amicorum &c. *text. est in d. c. 1. de prob. alien. feud. per Frid. & gl. in c. 1. §. oportet de success. feud. Vult. d. loc. per. ibi allegat.*

*Ad*



AD

Dominum Adfinem; Jenam di-  
sput. gratia abiturientem :


**H**em! quid blaterat vulgus? qua Caspar a-  
Adfinis de Tefamina percipio: (mice  
Lustrum abiit, sacrum quo traxti fœdus amoris  
Connubijs sacri, rite sorore mea:  
Et nunc alterius Tefama ambire Dianæ  
Igniculos: velle & deseruisse { Meam  
Tuam  
Falluntur, falluntq; inquis, qui talia de me  
Dispergunt falsò & discidiij insimulant.  
Non ego ceu: verum taceo, quin pergere pergis:  
Causa abitus qua sit Ti dabit hoc reditus.  
Auguror: Eunomies sacra-sacer ustulat ignis:  
Scilicet hacce Foro ut seruiat, illa Toro  
Eja bonum factum! faxit Deus omnipotens Rex  
Prosper ut hinc abeas, prosper & huc redeas:

deproperabat

Gregorius Bacchi civit. Wurcens.  
â Pharmacis.

F I N I S.









X2617642

FLDA








Farbkarte #13

B.I.G.



S 1611/4

ANEA-  
IRE CON-  
QUESTIO.

M. A.  
*Facultatis Juridicae*

DIO  
OMANNI  
YTA SALANA CO-  
dicæ Facultatis Senioris,  
storij, curiæ provincialis,  
fessoris dig-

*ere conabitur*  
R LONGOSALIS-  
Wurcensis:  
*ra locog, consuetis.*

NIS Anno 1611.

30.

18  
/

